

voluntas. Subsumebat: *Atqui peccatum Originale nullam potest corrumpere substantiam. E. Peccatum Originale non potest corrumpere Liberum Arbitrium. Et per consequens adhuc est Liberum Arbitrium.*

Hic quum in fervore Disputationis, *Flacio Viro aliás Doctissimo*, non statim succurreret, num accidentia corrumpere possent substantiam, ad alterum extremum declinans, appellavit peccatum Originis, ipsam hominis substantiam. Ita enim regerebat: Hoc modo sentio & assero, primarium peccatum Originale esse substantiam, qvia anima rationalis, & præsertim ejus nobilissimæ substanciales potentiae, nempe intellectus & voluntas, qvæ antea ita erant præclarè formatæ, ut essent vera imago Dei, nunc sunt fraude Satanæ adeò prorsus inversæ, ut sint vera & viva imago Satanæ. Atq; inde ita argumentabatur:

1. *Quicquid pugnat cum lege Dei est peccatum, I. Joh. 3, v. 4.*

*Tota natura hominis pugnat cum lege Dei:  
E. tota natura hominis est peccatum.*

2. *Quic-*